




Atti 2. Levato 1742. si venne un circolo in
Bormusa, ed augumentarono in esso il Sig. or. Loreto
per primo, il Sig. or. D. Salvatore, pace, poi solo, ed il Sig.
Capellano della Micafila per terzo. Il defendente si po
mediocremente, l'assumente per D. Felice. Remarco.



26.9
9

THESES

PHILOSOPHICÆ

QV A S

Sub Auspiciis

Illm̃i

DOMINI

FR. D. PAULI

ALPHERAN DE BUSSAN

*Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopi
Melitensis, è Dominis Magnæ Crucis S.R. H.
Regii Consilarii, Pontificio solio Assi-
stentis, ac Commendæ de Vaours
Commendatarii.*

Exponit Propugnaturus.

CL. LAURENTIUS GALEA.



CATANÆ,

In Typographia Simonis Trento 1741.

Superiorum facultate.

Illustrissime DOMINE

Quis prohibet Vigilantissime Præsul tuam in nos
beneficentiam, ac perennem liberalitatem
in ævum commendare. Porro clementiæ mu-
nus fuit in Tuo Seminario nutrire, ab ineunte ætate re-
ligiosè educare, in omni liberalium artium genere inge-
nia nostra excolere, omnibus, atque ecclesiasticis disci-
plinis instruere, quæ non tantum dicendi, sed & bene
vivendi commonstrant vias, perplexos illius æternæ
Sionis Clivulos irrepere, edocent. Hæc sane est sum-
ma boni Pastoris cura, Ministros ad sacra mysteria
idoneos ab unguiculis aptare, Adolescentes perficere, & A-
dultos usque ad maturitatem perducere. Hoc inquam
Vigilantissimi Agricola studium, in arvis, jam conserto
semine, operarios non inertes addicere, pervigiles mes-
sores parare, sedulosque Coadiutores eligere, & in eo-
rum delectu invigilare, sicut enim plures, & pervigi-
les,

es, quò cererem exercent uberrimam, sunt opus, ita ad spirituale concreditarum ovium utilitatem, & salutem, permultos, & insomnes, qui verbo, & exemplo aliis praeluceant, necesse sit præordinare. Nobis modò opere prætium est in tanti Coloni Area indefessò operari, tanti Pastoris oves adducere, tanti Præsulis grati animi esse. En igitur nostrarum segetum manipulos, frugumque primitias! En oves Pastor vigilantissime, quæ perierant; reductas! Gaude, & letare, & diù latabere, non propter munus, quippe tibi munusculum est; ast quia filiorum est. Munusculum inquam, quod exhibemus, eorum intuitu, quæ præstitisti, & in dies præstare non desinis, beneficia. Sed quidni dicamus? debitum est, quod exolvimus, nec est munusculum gratuitum, quod offerimus. Quomodò enim nostra in lucem prodiret Philosophia, nisi ex Tua gigneretur Sophia? Quomodo, vel in ruribus ponerentur exedrae, nisi ex Tui Seminarii Lyceis prodirent. Tua sunt, Pater amantissime, nascentis scientiæ, quæ præsentamus, exordia. Tuum est, licet tenuissimum sit munusculum. Quapropter benigno, precor, complectere vultu, & fove, quo Te propitiam præstante dexteram; uberius, annuente Deo, fuerit Tibi munus.

EX LOGICA;

I.

PRæter Logicam Naturalem, in nobis datur Logica Artificialis, quæ licet simpliciter necessaria non sit ad scientias, nec in statu imperfecto, neque perfecto acquirendas, est nihilominus ad illas maximè utilis, illisque facillimam sternit viam.

II.

Cujus Objectum formale adæquatum tres nostri intellectus operationes rectas, inter quas præcipuum discursum rectum esse statuimus. Quapropter ejusdem Objectum materiale prædictæ sunt dumtaxat operationes nudè sumptæ.

III.

Logica licet sit realiter unus, & simplex habitus, propter sui diversa munera jure sibi triplex vindicat nomen Demonstrantis, Docentis, & Utentis.

IV.

Quæ cum sit Ars, & Scientia non solum est speculativa ad contemplationem sui objecti intenta, sed etiam largè practica utpotè secundarum intentionum effectiva. Ast neutiquam est rigorosè Practica, cum ad Praxim nullo modo sit ordinata.

Quamvis

Quamvis Intellectus noster sit Intellectu Divino imperfectior, nullum ens rationis neque fundatum in sensu Thomistarum, quod logicum appellant, neque non fundatum, quod Metaphysicum dicunt, effingit.

VI.

Cum dentur scientiæ veræ, & reales, quæ circa objectum reale, & necessarium versantur, oportet ponere quasdam naturas reales, quæ ab Intellectu denominantur universales.

VII.

Quod Universale alio modo non explicatur, nisi per quamdam vocem Universalem, per Ideam universaliter repræsentantem, ac atque per naturam realem sine singularitate conceptam ab eadem Idea Divina universaliter participatam, plures habentem naturas in multis consimiles.

VIII.

Hinc reicimus, & Universale Nominalium, & Platonium, atque Scotistarum, nec non Thomistarum explicandi modum.

IX.

Quapropter Universalium in particulari scilicet prædicabilium ab aliis valde diffitas definitiones statuimus, eorumque quinarium numerum cum Porphyrio sustinemus.

Quæ

Quæ prædicabilia minimè salvant suam Universalitatem sub unico inferiori etiam infinito si daretur, sed sub pluribus individuís saltem possibilibus.

XI.

Quapropter datur species subycibilis, quæ minimè est prædicabilis; Unde natura Angelica Michaelis sine Michaelitate concepta, facta suppositione Thomistica, nec secundum rem, neque secundum rationem est Universalis, nisi negativè.

E X M E T A P H Y S I C A.

I.

Methaphysica nobilissima philosophiæ pars, Ens, ut ens speculatur, quod non univocè, sed analogicè de suis dicitur inferioribus, proindeque non potest ab illis perfectè præscindi.

II.

Ens creatum dividitur in Substantiam, & Accidens, illa per exigentiam per se standi constituitur, hoc vero per exigentiam inherendi subjecto statuitur.

III.

Quæ duo dumtaxat sunt rigorosè prædicamenta; Quapropter omnia Entia ad hæc, vel directè, vel indirectè reducuntur, solo Deo excepto, qui cum sit super omnem substantiam, supra omne ens, sub nullo ex his comprehenditur prædicamento.

IV.

Cum autem inter entia Creatâ incompletâ, Anima rationalis sit superior, plures eminenter continet perfectiones in inferioribus dispersas, quæ perfectiones in abstracto conceptæ, gradus Methaphysici nuncupantur.

V.

Inter quos nequè realis, nequè modalis, nequè realis media, nempè formalis, sed sola datur distinctio virtualis, nec quidem rationis, ratiocinantis, sed, ut ajunt rationis ratiocinatæ.

VI.

Quæ distinctio Virtualis, cum sit penes non includens, & non inclusum, non solum præcisionem formalem, sed & objectivam admittimus.

VII.

Unicum principium individuationis in Substantiis materialibus est materia prima; in accidentibus verò quibuscumque est Subjectum. Quapropter duo numero accidentia nequeunt in eodem existere.

*Objectis respondebit, qui supra
Sub Assistentia*

R. D. SALVATORIS PACE
in Basilica Sancti Philippi Argyrensis
Terra Zebbug

Anno 1741. Mense Octobris Die 8 Hora sexta

post meridiem, et Presens erat Grægorius Trauer Pau
Alban.